



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis  
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118537**

§. 112. Calvini sententia circa hoc dissidium expetita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66584)

## §. CXII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1549.*Calvini sententia circa hoc diffidium  
expetita.*

Occasione ex hoc diffidio nata Lutheri Sectatores Calvino scribebant, supplices, ut hac super re mentem suam libere aperiret; quod etiam præstitit, Melanctonem admonens, ut sui Officii haud immemor esset: cum autem idem nimiae indulgentiae a nonnullis infimularetur; hinc Calvinus remature discussa illum hoc probro per nefas vexari comperit, hancque accusationem nonnisi ex perverso calumniandi animo, ac dolosis Illyrici artibus profectam censuit: verum eoquod per hanc Calvini decisionem bellum inter Adia-phoristas, atque Interimistas adeo non sedaretur, ut potius resuscitatis controversiis præcipue de Eucharistia magis, magisque accenderetur, hinc nonnulli Calvinum consubstantiationi favere arbitrabantur; unde Tigurinis Zwinglii Discipulis, quibus mortuo Zwinglio Bullingerus præerat, novum indignationis argumentum fuit suppeditatum: Ea-propter Tiguri inter ipsos hujus Ecclesiae Ministros, ac Genevenses Pastores colloquium indicitur, cui etiam Calvinus, & Farelus intererant, ac tandem  
post

*Beza in vita  
Calvini ann.  
1549.*



Sæcul. XVI. post crebras altercationes decidebant, quod Tigurinorum sententia a ceterorum opinione haud differret. Ergo approbantibus Helvetiis, ac Grisonibus concordia stabilitur, atque inter Geneveses, & Tigurinos, necnon inter Bullingerum, & Calvinum tam arcta inicitur amicitia, ut hæc unio hodieum adhuc subsistat.

## §. CXIII.

*Calvini epistola Tigurum missa ad Lelium Socinum.*

*Beza in vita Calvini.* Sub idem tempus Calvinus duas epistolas admodum doctas perscripsit ad Lelium Socinum tum Tiguri agentem, qui primus Socinianæ sectæ Auctor evasit. Hic filius erat Mariani Socini, neposque alterius Mariani Socini percelebris jurisconsulti, qui primo Patavii, ac postea Senis cum ingenti omnium applausu Juris Pontificii scientiam tradebat, ac demum ad Pium II. Pontificem ablegatus ab eodem sacri Senatus Advocatus renuntiabatur, haud vulgaribus benevolentiae signis exceptus. Ceterum Lelius Socinus Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quinto Senis natus, ac maturiorem ætatem attingens a Patre suo ad jurisprudentiæ studium destinabatur: verum ipse jam tum Religionem mutandi